

# LEGENTIBUS

## PROLOQUIUM.



*Septimam Tibi theologicarum mearum Dissertationum Partem, post expletum fere annum, reddo; tanquam luculentum testimonium laboris, quem pro Te adhuc sustineo, etsi laboribus aliis pro tenuitate mea in hac alma Urbe implicatus. Temporis enim reliquias, quæ ex aliis occupationibus mihi supersunt, nec otio, nec inutilibus confessibus offero; sed post Dei & Ecclesiæ honori sacrificium, quod cæteris hominum respectibus præfero, bono tuo, quantum a divina misericordia mihi datur, consulere studeo.*

*Habes ergo in hac septima parte de Sacramento Pœnitentiæ Dissertationes, & quidem juxta nostram consuetam methodum: Scilicet & pro Historica. & pro Dogmatica, & pro Schola, quæ constituunt Historicæ, Dogmaticæ, Scholasticæ Dissertationes. In iis tuam quoque rogo humanitatem, ut cuncta legas patientia, qua cætera legere consuevisti; sic enim fiet, ut non me terreas ab opere prosequendo, sed potius animum augeas, ut ipsum compleam & absolvam.*

*Invenies profecto non pauca, quæ tuæ sapientiæ non placebunt; sed quis est, qui in omnibus, & singulis placeat? quis est autem, qui scribat, & omnium qui legunt, & omnium, quæ scribit, acceptationem sibi promittat? Hoc difficillimum est, ut homines consequantur, adeoque impossibile quoque erit, ut homines, si hoc consequi velint, verbum quidem scribant.*

*Ego quidem scripsi, & multa scripsi, ut vere quilibet scire potest, si ad ejus manus opera mea pervenerunt; at nunquam in animo habui omnibus, & in omnibus placere; quin potius Lectorum benignitatem rogavi, ut in scriptis meis errores compati dignarentur, & illa benignitate corrigere, qua suos vellent alios emendasse. Credo, quod hoc ipsum pro vestra benevolentia consequutus fuerim; & hoc fuit, quod me ad ulteriora scribenda portavit; quod si assequutus non fuisset, cætera profecto nec exarasset, nec evulgasset.*

*Accipe ergo hanc meam sinceram, fidelem, verificanque confessionem; videlicet, quod in omnibus, quæ scripsi, & scribo, non aliqua suis animi præsumptio, quæ me ad scribendum impulit, sed sola Lectorum pietas & commiseratio, qua scripta mea prosequi dignati sunt. Illa animum movit, vires adjecit, ac scribendi Cachœsem præstitit; ut exequer,*

*rer,*